



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Ad Matutinas, Hymnus L.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

Ergo tuis suffragijs
 Nobis asta & succursum
 Fer in diuinis laudibus
 Ut mens sustollatur sursum
 Cum iubilosis plausibus.
 Sensus preme leoninos,
 Nos mites fac & humiles,
 Motusq; adulterinos
 Rogamus vt subtrahas.
 Prece tua & appare
 Angelicis cum cetibus,
 Dum astamus sacræ aræ
 Corda rigentur stertibus.
 Ne, quod absit, sacra mensa
 Nobis sit in laqueum
 Amore fides sit accensa
 In quodcunq; obstaculum.
 Eia gemma monachorum
 Sancte pater Hieronyme,
 Consolatorq; mœstorum
 Præsenta te vitronee
 Nobis in extremo luctu
 Fac Christum exorabilem,
 Tuo cernere conductu
 Terram desiderabilem, Amen.

*De eiusdem D. Hieronymi preconiò &
 laboribus pro Ecclesia Catholica exantlatis,*

Hymnus XLIX.

Salue pater gloriosè,
 Atque multum virtuosè,
 Amante Hieronyme.
 Tua vita & doctrina,
 Multos traxit ad diuina,
 Ut liquet clarissime,
 Qui amore crucifixi,
 Corpus nimis affixisti,
 Virtutum operibus.
 Die noctu non cessasti,
 Sed abundè laborasti
 Pro Christi fidelibus.
 Donec ipse te vocaret,
 Et perfectè adornaret
 Diuinis muneribus
 Vbi mundi creatorem,
 Semper laudas per amorem

Cum supernis ciuibus,
 Per te ergo dirigamur,
 Et amore impleamur
 Abluti criminibus.
 Vt te duce veniamus,
 Et vt semper gaudeamus,
 In diuinis laudibus, Amen.

*D. Brunonis protopatriarcha Carthusia-
 norum vitam, preconiung, paucis perstrin-
 gens, sub nota, Iesu corona virginum, con-
 tinendi hymni septem ad horas canonicas
 septem,*

*Ad Matutinas,
 Hymnus L.*

Exulcet cor ex intimis
 Laudem Brunonis concinat,
 Quem Deus ab infimis
 Supra æthera collocat.
 Hunc inclita Germania
 Vt iubar solis protulit,
 Quod nobili Colonia
 Luce clara emicuit.
 Sed & apud Parthios
 Scientia imbutus est:
 Vbi cunctos egregios
 Doctores supergressus est.
 Erat nam arca mystica,
 In se diuersa continens,
 Diuina philosophia
 Disertè omnes instruens.
 Paulinas in epistolas
 Præclara commentaria,
 Psalmorum quoque glossulas
 Edidit cum industria.
 Trino tonanti gloria
 Sit, qui Brunonem inclitum
 Posita carnis sarcina
 Prouexit ad empirium, Amen.

Ad Primam.

Hymnus LI.

Probitatis simulachrum
 Hic fuisse dinoscitur,
 Virtutisq; spectaculum,
 Quare verè recolitur.